

ANNO DOMINI MXLVIII.

# VASO

## LEODIENSIS EPISCOPUS

### NOTITIA HISTORICA

(Apud Fabricium, *Bibliotheca med. et inf. Lat.*, tom. VI, pag. 314.

**WASO**, *Wazo* et *Guaso* alias dictus, fuit primum **Capellanus** Leodii, deinde scholarum magister, **Capellanus** Henrici III imp., decanus Leodiensis, **præpositus** et archidiaconus, tandem an. 1042 episcopus Leodiensis, obiit an. 1048. Vitam ejus dedit **Anselmus** canon. Leod. cum additionibus **Ægidii**, tom. I **Chapeavillii**, pag. 281 seqq., ubi etiam pag. 282 **Wazonis** *Invectiva in Joannem præpositum*, qui munere suo satis violenter fungebatur; pag. 300, *Epistola ad Henricum imperatorem*, ne **Aquisgranum** pergeret: pag. 302, *Epistola ad episcopum Catalaunensem*, in qua monet ne hæretici, qui tunc erant **Manichæi**, supplicio afficerentur. Nam, ut obiter hoc adjiciamus, ex solo pallore hæretici judicabantur, sic ut multi quoque ex catholicis eo prætextu trucidarentur; pag. 303, 304. *Epistola alia ad Cæsarem*, ne electioni pontificis se immisceat. Vide **Val. Andree** *Bibl. Belgicam* pag. 849. Viri hujus sancti

**A** Vitam non unus tantummodo **Anselmus** canonicus Leodiensis scripsit, sed et operam suam illi junxit **Alexander** canonicus alter Leodiensis, qui ambo in continuatione sua ad *Historiam episcoporum Leodiensium gesta hujus episcopi* descripserunt. Hanc vero *Historiam* post editionem **Chapeavillii** iterum ex alio ms. codice produxit **P. Martene** in *Collect. Monum.* tom. IV, pag. 894, etc. In utraque hac editione litteræ hic indicatæ repræsentantur, sed præterquam quod apud **Martene** *Invectiva ad Joannem præpositum* multo integrior est, reliquæ etiam epistolæ in multis valde discrepant ab iis quæ in priori editione leguntur. Cæterum bibliothecarius noster hic omisit epistolam aliam **Wazonis** ad **Henricum I**, regem Galliæ, qua illum monet ne bello lacessat **Henricum Nigrum** occupatum in itinere Romano, quo ad obtinendam imperii coronam se contulerat. Vide *Historiam litterar. Galliæ* tom. VII, pag. 591.

# VITA VASONIS

SCRIPTA.

Ab **Anselmo** et **Alexandro**, canonicis Leodiensibus, inter *Gesta Leodiensium episcoporum*.(Martene, *ampliss. Collect.*, tom. IV, pag. 872, ex codice ms. antiquo Andaginensis monasterii S. Huberti ante sexcentos annos exarato.)

## CAPUT I. — De electione Vasonis.

Post hunc (**Nithardum**) domus Vaso secundum canonica instituta electus, licet diu multumque reclamans, per vim obedientiæ sibi ab archiepiscopo impositam, vix tandem ad suscipiendam episcopalem virgam est attractus; quamvis multo ante, non episcopus, consiliis et sapientia totum episcopatum gubernaverit. Hoc qualiter fecerit, qualiter ante episcopatum vixerit, quam paucis absolvam.

## CAPUT II. — Qualiter in scholarum magisterio se habuerit.

Capellanus primum sub **Nochero**, postea ab eodem donatus est scholarum magisterio; in quarum studio tam morum quam litterarum vigilantissime exercuit disciplinam, eos qui probis moribus essent, licet minus litteratos, longe his anteponens, quibus, ut in plerisque solet, scientia litterarum vanæ gloriæ peperisset stultitiam. Adventantibus quidem quibusque de diversis terrarum partibus, implens quod scri-

**B** ptum est: *Probate spiritus si ex Deo sunt*; plerisque quidem difficiles sui objiciebat accessus. Si quos autem vere ob studia venisse cognovisset, gratantissime suscipiebat quandiu morari vellent, et nunquam vestitus solatia impendebat. Discedebant alii litteris, moribus et religione instructi; accedebant alii nibilonius intruendi: cerneret quasi ex diversis alvearibus apes ad hanc florigeram arborem convolare, ut inde suis quæque cellis referret, unde arentibus favis nectar melliflui roris posset infundere. Haud aliter ex ignotis et notis regionibus ad virum bonos Christi odores spirantem undique studiosorum confuebant agmina, et alter quodammodo **Salomon** ad se videndum et desiderabiliter audiendum religiosos cujusque generis invitabat. Et cum multi, exemplo reginæ **Austri** pretiosissima **Jerusalem** conferentis, ne immunes apparerent, huic suo **Salomoni** spontanea offerrent xenia, ille ita manus suas studebat excutere ab omni munere,